



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 6. Quænam sun[t] obligationes Magistrorum, & Discipulorum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

magis tenentur impedire damnum heri sui, quam extranei, qui ad id ex charitate tenentur. Domestici verò, quibus specialiter domus vel alia res commissa est, tenentur insuper magna cura eam custodire, & diligenter invigilare, ne quid damni in ea patiatur Dominus.

6. Si ante tempus condictum discedat sine justa causa: nam ex contractu, ideòque ex iustitia tenentur toto illo tempore servire: & sic tenentur resarcire damnum, quod Dominus inde patitur, ut si majore pretio alium conduxit, &c. Omnis enim iniustitia damnosa parit obligationem restituendi.

*Q. 6. Quenam sunt obligationes Magistrorum, & Discipulorum?*

*Resp.* Inter Magistros, Pædagogos & Discipulos est quodam modo eadem obligatio, quæ inter parentes & liberos: nam Magistri & Pædagogi vices parentum erga Discipulos gerunt in iis, quæ ad studia & bonos mores spectant.

Sed speciatim Magistri & Pædagogi graviter peccant. 1. Si cum non sunt idonei nec sufficienter docti ad hoc munus rectè ac utiliter obeundum, illud suscipiant, aut non dimittant, aut se ad illud idoneos non præstent. 2. Si Discipulorum progressum in litteris non sedulò promoveant. 3. Si non satis studeant ipsi, ut rectè officio fungantur. 4. Si ex proposito falsa ut vera doceant, vel superstitiosa  
aut

aut saluti noxia. 5. Si negligent eos bonis moribus imbuere, nec delinquentes arguant, aut nec puniant cum possunt. 6. Si ipsis malum exemplum præbeant. 7. Si improbos, & alios perniciosos ad scholas admittant, vel ex iis non dimittant, ne alios depravent. 8. Si Doctoratûs, vel Licentiatûs gradum indignis conferant: nam (ut docet Navar. ex S. Antonin.) est mortalis culpa præsertim in Theologia, Jure Canonico & Civili, & Medicina, imò: etiam videtur in Philosophia; nam per hoc graviter bono publico nocent, & remp. vel Ecclesiam publico testimonio decipiunt in re gravi: unde fit ut indignis conferantur officia sæcularia, vel Beneficia ecclesiastica, cum damno multorum.

Porro Conc. Later. V. Sess. 9. præcipit, ut humaniorum litterarum Magistri Discipulos rebus fidei, & præceptis Dei ac Ecclesiæ instruant.

Discipuli peccant 1. Si Magistris & Pædagogis non exhibeant honorem ac reverentiam. 2. Si non obediant in rebus ad studia & bonos mores pertinentibus. 3. Si malorum consortium sibi veritum non vitent. 4. Si libros prohibitos legant. 5. Si à schola absint sine justa causa. 6. Si tempore studii destinato lusui vacent vel otio. Et quidem mortaliter peccant, si studia notabiliter negligent: tum quia agunt in re gravi contra obedientiam parentibus ac præceptoribus debitam: tum

quia se reddunt ineptos ad munus suo statui  
conueniens in posterum ritè obeundum:  
tum quia vita otiosa est fons & origo multo-  
rum peccatorum, præsertim adolescentibus.  
Quare non sunt absolvendi, nisi negligentiam  
suam emendare curauerint.

## CAPUT V.

*De Obligationibus Personarum Judicialium  
vel Forensium.*

*In his generatim requiruntur Scientia, Diligentia,  
Veritas, Fidelitas, & Justitia.*

**N**OTA. Qui Officium aliquod ad aliorum  
commodum spectans suscipit, tenetur ex  
justitia 1. Ad curandum, ut suâ negligentia  
nemini damnum sequatur. 2. Ad procuran-  
da commoda ejus, cui per officium seruit, sal-  
tem quantum commodè potest; & ad dili-  
genter obeunda ea, quæ ad tale munus spe-  
ctant, & necessaria sunt ad finem, ad quem in-  
stitutum est: nam hæc tacitè promittit & ad ea  
se obligat, hoc ipso, quòd tale munus assu-  
mit; & ideo stipendium ei datur. Hinc si  
munus suum negligat, tenetur damna inde se-  
cuta refarcire, & stipendium acceptum resti-  
tuere pro negligentia.